

HEINRICVS DE GANDAVO DOCTOR CELEBRIS.



**H**Einricus Gandau*i* in Germania natus literarum amore in Lutetiam profectus est. Ibi ingenij fœlicitate fretus adeò in optimis literis profecit, ut in diuinis scripturis inter omnes Doctores sui temporis eruditissimus iudicatus fuerit. in Aristotelica philosophia erat subtilissimus, & in disputationibus scholasticis acutissimus, id quod preclara eius opuscula testantur. Vnde tantę authoritatis & opinionis in Gymnasio Parisiorū extitit, ut Doctor solennis per uniuersum Christianum orbē uocatus fuerit. In patriam postea reuersus Tornacensis Archidiaconus creatus est. Scripsit inter alia Sūmam Theologiæ, præterea libros quatuor super sentētias: item in physica & Metaphysica Aristotelis, cum ipso Quodlibeta. Tandem sub Adolpho Cæfare moritur, anno millesimo ducentesimo nonagesimotertio, in festo Apostolorum Petri & Pauli, atq; Tornaci in Ecclesia S. Mariæ sepultus quiescit. Trit,